



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

27. S. Rupertus, Episcopus Bavarix Apostolus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Ruperti Archiepiscopi Salisburgensis, & Apostoli Bavariae zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quot animæ periissent, si his non subvenisset pabulô S. Evangelii, & Verbi Divini S. Rupertus! Fili mi! & nos zelamur salutem animarum? Salvare possumus, si exemplariter, & sanctè vivamus. Exempla bonæ vitæ sunt animarum retia.

Instructio meritoria.

Jaciamus ergò! & cautè conversandò, ac modicè loquendò ædificemus alios, & ut graviora à Republica tollantur scandala, recitemus *Lytanias de omnibus Sanctis*. Magna à magnis petenda.

II.

FIdem, & primam pietatem Bavaria debet S. Ruperto; inde & ei prospera cuncta. Potuit vir Dei tanta in provinciam integram; quid poterit ergà animam nostram? Curramus, & Apostolo cœlitùs dato intimos pandamus
finis,

sinus, & afflictiones. Pater erat in mundo : Non desit esse in caelo.

Instructio meritoria.

Ut Maria cum S. Ruperto assistat afflictæ patriæ, constanter in vera fide permaneat, Deumque in omnibus timeat, & diligat, offeramus *Cursum*, seu *Officium majus Marianum* cum Cantico : *Benedictus Dominus Deus Israël!* quis ut Maria? *Gens & regnum* (ait. S. Damascenus) *quod non serviret, peribit, & gentes solitudine vastabuntur.*

III.

STans inter manus suorum moritur S. Rupertus; quia decertavit fortiter contra Dei, & fidei inimicos. Fili! non titubat in morte, cujus cor, & pectus nunquam nutavit in vita. Fortitudine opus est pro lucta ultima. Dum vivimus, probemus eandem caelo! persequamur malum, eligamus Bonum, & dabitur constantiæ præmium.

Instructio meritoria.

Turbatum est cor nostrum è sola mortis memoria! quis confortabit? Heroica, & Christiana vita. Pro qua impetran-

petranda antè Crucifixum Dominum
ter per hebdomadem, antequam itur cu-
bitum, flexis genibûs nocturnum præ-
mittatur testamentum cum Lycinis
Lauretanis. Vigilate, quia nescitis. Tu-
tissima nox, quâ recordamur nostra
æternitatis. Cum hac obdormiamus!
cum hac & resurgamus!

Festum Transfixionis, seu sep-
tem Dolorum Beatissimæ Virginis
Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

A Mor probat filium. Chare! pro-
bet & ipse suum. Compatiatur
tam piæ Matri de tot irreverentiis, & of-
fensionibus, quibûs tum Christiani, tum
religiosi malè vivendò vulnerarunt illius
cor utur innocentissimum. Recorde-
tur, quid tempore afflictionis nobis
præstiterit? Quomodo consolata nos sit
pia parens Maria.

Instructio meritoria.

In contestationem ergò filialis com-
passionis, & deprecationem nostræ ma-
gnæ ingratitude quondam Dolorosa
Matris